



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xxxvii. De Pœnis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

Si egressus ignis fruges comprehenderit: qui succendit damnum reddito. <sup>5. Si egressus</sup>

Si quis domum, vel aream sciens prudens incenderit: sublata & incensa omnia restituito, annos tres pœniteto. <sup>6. Si quis domum.</sup>

Si qui rixati fuerint, & alter alterum percussit: olli operas, & impensas in medicos restituito. <sup>1. Si rixati.</sup>

*De pœnis. Tit. 37.*

**I**N causis pecuniariis victus victori (ni pro absentente sententia feretur) pro temeritatis pœna in expensas condemnator. <sup>4. Calumniam.</sup>

Litigator autem temere aduersus adsertionem iudicis prorumpens arbitrio superioris dignè punitor. <sup>11. Diligentius.</sup>

In conuentionalibus autem pœnis hæc seruantor.

Pœnam conuentionalem vtrinque promissam, si vterque contrahentium aduersus contractum venerit, neuter petere valet. <sup>7. Constitutus.</sup>

Sed & ecclesiasticæ personæ aliis ecclesiasticis ad certam quantitatem certa die soluendam sub pœna obligatæ si intra terminum maiorem partem soluerint, vt tantum modicum quid desit: eo soluto à pœna liberantor. <sup>9. Suam.</sup>

In criminalibus autem hæc posita funto.

Quæ sæpe admittuntur peccata sæpe puniuntor. <sup>1. Ea quæ</sup>

Pro quibus corrigendis prælati pœnâ pecuniariâ ne extorqueâto, psonasve p annua exactione suspendunt, aut ecclesias interdicunt. Sic nec <sup>3. Licet.</sup>

denarios à vicariis, vt eos in ecclesiis cātare permittant, exigunt. hæc & talia qui præsumptiua censura eccle. coercentor.

2. *Presbyteri.*

Si tamen cum interfectore presbyteri transactum erit: compositio partim episcopo, partim ecclesiæ cui præfuit addicitor.

10. *Ad aures.*

Occidentes autem prælatum feudis, & beneficiis quæ ab ecclesia habebant priuantor, nec eis, eorumve hæredibus restituuntor, seu de nouo alia conferuntor.

12. *In quibusdam.*

Itaque patroni, aduocati, vicedomini plus quàm iura permittunt in ecclesiis sibi vendicantes censura eccle. coercentor. Quod si & prælatum, vel clericum ecclesiæ per se, vel alios occiderint, mutilauerint: quod habent ab ecclesia perduntor. de iis nihil ad hæredes peruenit. hi ad quartam vsque genesin in collegium clericorum ne admittuntor, nè in monasteriis præficiuntor.

13. *Græcè.*

Sic & qui diu in excommunicatione mansit, cum hæreseos suspectus fiet, vt iuri pareat, monetor. ni faxit: ecclesiæ, in quibus ius aliquod habet, ab eius debito absoluuntor. fideles eius, quamdiu in excommunicatione perstiterit, ab eius fidelitatis iuramento penitus absoluti denunciantor.

8. *Super hi.*

Clericus verò, qui ob id tantum, quòd variauerat, & vacillauerat, captus & detentus fuit, infamiam ne incurritor.

6. *Tuc.*

Sin in latrociniis, vel aliis magnis sceleribus deprensus erit: à suis ordinibus degradatus in arctum monasteriū ad agendam pœnitentiā detruditor.

Sed & si cōsilio, auxilio, vel fauore conflictui <sup>5. Quod</sup>  
operam dederit sacerdos: pœna depositio esto. <sup>in dubiū.</sup>

*De pœnitentiis, & Remissionibus. Tit. 38.*

*De pœnitentiis.*

**Q**VILIBET capax semel in anno proprio <sup>12. Omnis</sup>  
sacerdoti, alterive de eius licentia de-  
bitè confiteri, iniunctam pœnitentiam adim-  
plere, & eucharistiã in paschatis recipere co-  
gitor. Circa quem sacerdos prudenter se habe-  
to, anquirito, consulito. Eum verbo, signo, aliã-  
ve ne prodito. Si faxit: deponitor, & in monaste-  
rium perpetuò pœniture detruditor.

Episcopi autem, superiores alii, ac minores <sup>16. Ne pro</sup>  
prælati si exempti erunt sine licentia superioris <sup>dilatione.</sup>  
elégere sibi confessarium valento.

Quod ad abbatissas pertinet, monialium cõ- <sup>10. Nova.</sup>  
fessionem audire, vt & eas benedicere, prædica-  
re ne præsumunto.

Quod ad medicos spectat, illi ab infirmis ac- <sup>13. Cum</sup>  
citi eos protinus ad confitendum inducunto. <sup>infirmas</sup>  
qui secus faxint donec satisfaxint ingressu ec-  
clesiæ arcentor. Sed nec eis quicquam pro salu-  
te corporis quod pugnet animę saluti sub pœna  
anathematis persuadento. A deo animę morien-  
tium ratio habetor.

Nam & tempore generalis interdicti morien- <sup>11. Quos</sup>  
tibus pœnitentia, & synaxis ne negator. Cleri- <sup>in te.</sup>  
cis quoque qui interdictum seruassint morien-